

731  
X  
DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN<sup>A</sup>UG<sup>U</sup>R<sup>A</sup>LIS MEDICA

D E

# HÆMORRHOIDI- BUS GRAVIDARUM ET PUERPERARUM,

Q V A M ,

A U S P I C E D E O P R O P I T I O ,  
*Et Consensu atque Auditorate Gratiosæ Facultatis Medicæ*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA ,

P R A E S I D E

PRORECTOR<sup>E</sup> MAGNIFICO

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO,  
MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR.  
COLLEGA , SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI , ETC.

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO ,

*Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQVE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS ,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS ,

ANNO MDCCXXVII. D. VI. MAJO

PUBLICAE AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET

R E S P O N D E N S

JOHANNES RUDOLPHUS SCHRADER ,

GANDESIA - BRUNSCENSIS .

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ ,

Typis IOANNIS CHRISTIANI HENDELII , Acad. Typogr.

athol. spec.

450,12

Moribus 1520



# VIRIS

MAXIME REVERENDIS, NOBILISSIMIS,  
CONSULTISSIMIS atque DOCTISSIMIS  
DOMINIS DE ECCLESIA, CIVITATE ET CURIA  
BRUNSVICENSI MERITISSIMIS

## BENEFICII

DOMINO

D. LVDOLPHO SCHRADERO,  
multos ante annos ad Studia in perpetuam  
memoriam fundati

## DOMINIS PATRONIS

DOMINO

CONRADO LEVINO HAN-  
TELMANNO,

Ecclesiæ Cathedr. St. Blasii quæ Brunsvigæ est Ca-  
nonico Seniori & urbis hujus Patritio & Agnato  
meo Dignissimo

DN. AVTORI HEINRICO  
DE STROMBECK,

Reipubl. Brunsvic. Senatori ut & Patritio  
Speciatissimo

DOMINO

JOHANNI GEORGIO DE KALM,  
Jcto, Reipubl. Brunsvic. Secretario Primario  
& Patritio gravissimo

UT ET EJUSDEM  
BENEFICII  
DOMINIS ADJUNCTIS

OPTIME MERITIS

DOMINIS AC PATRONIS MEIS  
HONORATISSIMIS GRATIOSISSIMISQUE

HANC DISPUTATIONEM INAUGURALEM  
TESTANDÆ DEBITÆ OBSERVANTIAE  
ET GRATÆ MENTIS ERGO

*submige*

OFFERT ET DEDICAT.

V I R I  
Maxime Reverendi, Nobilissimi, Consultissimi,  
Doctissimique  
Domini ac Patroni gratissimi, æque ac honoratissimi

**E**st utique magna temeritas, viros gravissimis curis negotiisque implicatos interstrepere, major omnino audacia, Patronorum sibi prius expetere gratiam verbis, quam rerum adsint testimonia; maxima denique effrenatio aliorum nominibus, Titulis ac meritis superbire. Et vitiorum hocce trifolium iis, qui sic dictis dedicacionibus utuntur, est admodum commune. Nihilo tamen minus Maxime Reuerendis ac Nobilissimis Dignitatibus Vestris levidenses hasce pagellas dicare haud erubesco. Sic ipse ego eadem, quæ in præsentiarum taxo, vitia labore hoc meo incurrere videor, Ast video saltim. Quemadmodum enim ex mente triti illius Philosophorum dicterii unius rei plures possunt esse causæ, ita & in hoc scribendi genere plures effectuum suorum latent rationes quarum totam recensere seriem jam absolum foret pariter ac tædiosum. Sufficiat modo ex cunctis illa, qua quis pietate motus gratum suum palam testari animu[m] satagit, suamque suos erga Fautores observantiam publice propter annititur. Et hic  
hujus

hujus qualiscunque epistolæ fons est, hæc origo.  
Tanta quippe Vestra in meam tenuitatem tenus  
hac collocata beneficia gratum quid? quod? gra-  
tissimum reposunt animum. Paratissimus quo-  
que sum, quo hisce Vestris erga me meritis exacte  
respondere volo lubentissime, ast ex voto meo, mea  
impeditus indigentia nequeo. Exile igitur hoc char-  
ceum munuscum, cum pretiosius mihi deficiat,  
Vobis, o Patroni colendissimi! submisse offero.  
Tantum abest, ut crediderim, ac si quicquam hac  
ratione sim remuneraturus. Nec in posterum quo-  
que tanta, quæ mihi prompta manu exhibuistis be-  
neficia, plene unquam me compensaturum esse  
prævideo, imo vix spero. Diutius tamen me de-  
tinere, ingratique hominis notam perferre nequeo,  
nec volo, quin hocce meo laboris academici quali-  
cunque specimine Vestrum deprædicem favorem,  
Vestram laudem beneficentiam, meum profitear  
debitum, meamque pleniorum remunerationem  
suppeditandi incusem egestatem. Deus Ter Opti-  
mus tanquam remunerator largissimus promptis-  
simusque mea vice cuncta rependat. Servet Vos  
quam diutissime salvos ac incolumes, benedicat  
cunctis Vestris conatibus omni tempore. Sic de  
salute Vestra habebit ecclesia gaudium, civitas ful-  
crum, curia consilium & solatum.

*Amplissimarum Dignitatum Vestrarum*

cultor observantissimus.

JOHANNES RUDOLPHUS SCHRADER.



## PROOEMIUM.



æminarum consideratio  
in foro medico dupli respectu  
notatu perquam est digna, una  
est moralis, altera physica; il-  
la concernit relationem fæminæ  
ad medicum, hæc vero attinet  
medici judicium de illa: Fæminæ multæ medici ope-  
ra acerrime censem & variis judiciis in utramque  
movent ac interpretantur partem; hinc interdum  
res leves, viles ac inanes eximie extollunt, ma-  
gnas vero vicissim sæpe contemnunt & extenuant,  
quapropter interdum Medici quidam prosperum,  
suisque commodis atque lucris anxie inhærentem  
Prætici negotii successum omni cupientes modo, eo  
imprimis anniti solent, ut fæminarum arbitrio place-  
ant, earumque gratiam atque favorem sibi concili-  
ent, quæ propterea *vere sunt Medicorum buccinae* ut *Lin-  
denius in Select. Med. exerc. 13. §. 542.* elocutus est: quia

A 2

enim

enim muliercularum animos etiam parva facile movent & quovis tintinnabulo sonantiorum gerunt linguam: bac propter medicum, cuius opera se suosque servatos credunt, magnis ubique & apud omnes extollunt laudibus, sepe immodicis & supra quam quis ipse velit aut meruisse se sentiat, ardentioribus: Medicorum vero officia, quibus sequiori subveniunt sexui, satis sunt ardua, dum non modo illius naturam curationi scrutantur studio, sed & frequentioribus illius morbis curandis & infringendis aut præoccupandis indefessam navant operam: ob id Hippocrates, quando de Mulierum morbis inquirendis differit, ait, oportet eum, qui hæc recte tractare vult, primum quidem ex Diis ordiri: deinde Mulierum naturas discernere, itemque ætates & tempora & locos in quibus degunt Lib. de Nat. Mul. §. 1. text. u. 12. Et dum fæminæ multis ex causis singularem ad ægrotandum prærogativam tenent, ita perinde antiquiores medici, inter quos more recepto inclaruit Hippocrates, non modo causas in hoc debiliori sexu concernendas quadantenus annotarunt, quo præcipue spectat, quod mulier rariore carne præ viro prædicta existat, de Morb. Mul. Lib. 1. §. 1. text. 1. sed & Historiam morborum fæmininorum nonnullis illustrarunt observationibus: hinc Senex Lib. 1. de Morbis text. 20. dixit: quod vir a muliere differat, quo ad facilem & difficilem curationem & Lib. Epid. VI. Sect. 7. text. 31. quod Mulieres non similiter ac viri morbis corripientur: & quo singularem fæminarum proclivitatem ad ægrotandum antiquiores inculcarent observatores, horrisono dicterio indicarunt, quod mulieres bis patiantur morbum i.e. quod dupla gravitate experian-

riantur morbos, hinc vulgus masculorum acerbiores hypochondriacos cruciatus, hysterici mali nomine indicare haud erubescit: Hæc morborum caterva in sexu sequiori attentum propterea meretur obser-vatorem, quia non modo singularem gravitatem, sed & ominosam conversionem & complicationem judiciorum annotationi & decisioni subjicit: quemadmo-dum itaque aliquando virorum morbi effæminantur, ita fæminarum morbosæ calamitates virilibus inter-dum innotescunt qualitatibus: quælibet harum ob-servationum peculiari themate & disquisitione com-mendari posset, quod tamen præsens institutum haud permittit: illud brevibus indicamus, quod aliquan-do in fæminis tales oriantur morbi, qui virili sexui magis familiares esse solent, conspicuo Podagræ & Calculi testimonio, quo referri possunt stranguriæ, disuriæ, hæmoptyses, narium hæmorrhagiæ, affe-ctus arthritici, ischiadici, pollutiones nocturnæ, mi-ctus cruentus & si qui forte adhuc alii occursant: Tales observationes conquirere & dein prudenter in-quirere & explicare haud otiosa, neque sterilis curi-osa, sed in foro prætico omnino fructuosa est occu-patio: in qua illud proinde valet, quod *Seneca Ep. 94.* elocutus est: *Quædam diversis locis jacent sparsa, quæ contrabere exercitata mens non potest, itaque in unum con-ferenda & jungenda sunt, ut plus valeant, animumque ma-gis allevent:* Et dum varii affectus, peculiaris qualita-tis sequiorem nonnunquam premunt sexum, hinc illis exsiccandis, denuoque perite connectendis, sedula impendenda est opera, ne novi morbi fingantur, aut tantum

tantum inutilia curiosa præferantur, sed vera phænomena proferantur, quia secundum *Helmontium tract. caus. & init natur. n. i.* naturæ cognitio non in fictionibus, sed factis consistit: Hisce singularibus affectibus, quibus fæminæ viris æquiparantur, accensendæ sunt frequentiores narium hæmorrhagiæ, hæmoptyses, mictus cruentus, varices manantes & Hæmorrhoides, quales sanguinis profusiones Menstrui fluxus vi-ces interdum supplere solent; Et hasce observationes antiquiores medici non modo passim commendarunt, sed singulari attentione dignas esse declararunt: Quo itaque morborum differentia quoad ætatem conspi- cua, magis magisque illustretur & confirmetur, ita perutile etiam illud est medicorum negotium, quando morbos viriles in fæminis obvios percontantur: Quod enim sanguineos attinet affectus, tunc ob seden-tarium & relative immobilius vitæ genus, cui multæ fæminæ sunt deditæ, sequior sexus illis frequentius subjicitur: quemadmodum enim huic sexui men- strua sanguinis evacuatio solenniori effectu salutaris esse observatur, ita illius qualiscunque perturbatio præcox & eminens sanitatis affert detrimentum: ob id in Gravidis absoluta hujus evacuationis restitutio haud penitus innocens existit, quamvis promiscua illius continuatio non probari queat: interea ratio & observatio satis perspicue docent, quod multæ, si non plurimæ gravidæ ex nimia aut molesta sanguinis copia numerosa & ominosa patiantur incommoda; Ast quamvis masculinus sexus ob agiliorem & operosio-rem vitam superfluum sanguinem efficacius resolute-

re

re & ut resolutum sub serofæ magis excretionis specie excernere soleat, tamen & hic ob varias causas sanguineis subjicitur commotionibus & afflictionibus, quando videlicet talibus aut analogis se submittunt causis, ex quibus pleniorum & molestiorem sanguinis quantitatem colligere possunt & alioquin usitatus fæminæ morbosa sua pathemata contrahere solent: sed dum quoad modum, locum, regionem, processum & tempus superfluam sanguinis copiam exonerandi inter masculinum & fæmineum sexum singularis intercedit discrepantia, ita non desunt exempla quibus Medici in viris Menstruum sanguinis fluxum, aut sic dictos Menses accusare volunt, vid. Aquapendens Chirurg. Lib. 3. c. 13. Aretæus, diuturn. Lib. 4. c. 3. Zac. Lusit. Prax. adm. lib. 2. obs. 102. Welschius obs. med. 69. Bartholinus Cent. 5. bist. 33. Casp. Rejes Camp. Elys juc. qv. 47. Febr tract. de absinth. p. 138. Salmuth Cent. 3. obs. 47. Thiermeri lib. 1. consil. p. 186. 189. Franckenau Sat. med. 6. p. 92. 93. hæc observatio uti Mictum sanguinis menstruum concernit, ita vicissim in Historia Medica facti est veritas, quod motus & fluxus hæmorrhoidales mari bus usitatus & frequentius, quam fæminis, obtingant, quibus prioribus non raro singulare & exquisitum sanitatis ac vitæ levamentum & emolumentum constituunt: interea in observatione medica abunde comprobatum est, quod fæminæ vicissim talem virilem affectum experiantur & interdum per hunc hæmorrhoidalem fluxum moderate procedentem, speciale & magnum imperrent auxilium, id quod fusius D. D. Praeses in tr. de Hemorrhoidibus, seorsim vero in diff.

ac

*de Hæmorrhoidibus Fæminarum demonstravit: tali modo immutantur aliquando affectus ob singulares tamen causas, sub suis titulis, casibus & occasionibus annotandas: Quemadmodum vero aliquando fæminæ virili animo inclarescunt, ut propterea quædam nomine viraginum denotentur, ita etiam in œconomia vitali & corporis moderamen respiciente, similes operationes occurrunt, quæ virilem naturam prodere solent: quare ab heroico parente sæpe heroicæ generantur filiæ; adeo ut singularis illa inæqualitas & immutatio in nonnullis familiis innotescat, dum filii effeminato prædicti animo, filiæ vero virili qualitatem conspicuntur. Sed ne diutius, licet connexis fluemus generalibus meditationibus, mox proprius ad illam observationem animum dirigimus, qua seorsim in scrutinio negotii hæmorrhoidalis in sequori sexu, *Gravidis & Puerperis*, motus, fluxus, vexas & molestias hæmorrhoidales aliquando evenire indicamus; quæ specialis negotii hæmorrhoidalis qualitas nos permovit, ut Inaugurali themate Practicam illam observationem de HÆMORRHOIDIBUS GRAVIDARUM ET PUERPERARUM proponamus & explicemus, quo Historia Processus hæmorrhoidalis magis illustretur atque perfectior reddatur, nec non diversæ huc concurrentes causæ tam valore, quam nexu suo magis discernantur & confirmentur: Cui nostro proposito ut Deus gratia & adjutorio suo adsit, mox in primo accessu humillimis votis precamur.*

§. I.

## §. I.

**P**ræsentis thematis nervus *Gravidarum & Puerperarum Hæmorrhoides* complectitur, quæ *specialis observatio*, ut magis perspicua reddatur, ante omnia in *titulo ambiguitate*: quasdam solvere placet: *Graviditas & Puerperium* peculiarem vitæ ac sanitatis statum in *fæminis* comprehendunt & *sedulæ annotationi* ac prudenti tractationi commendant, siquidem prioris conditio ita comparata est, ut *frequentiores & numerosiores morbosæ afflictiones* illam corripiant atque detineant; posterioris vero *nunquam a periculo libera existit*, uti essentialiter *eximum* morbosum statum efficit, in quo multa & diversa concurrunt *pathemata*, quæ *ubique sub periculo* fluctuant decursu: quam multifaria itaque talium fœminarum observantur incommoda, ita præter illa mala, quæ *sexui* sunt *conformia* etiam *talem affectum* experiuntur, qui alias *virili sexui* usitator esse solet, vide licet *hæmorrhoidales vexas*: quando itaque *Hæmorrhoides talium Fœminatum* explicare nobis animus est, tunc partim eructantes & fluentes, partim eluctantes & furentes intelligimus *Hæmorrhoides*; proinde & libere enitentes atque succedentes & coacte impulsas & commotas, nunc sufficienti & moderata, nunc *larga aut parca copia* procedentes, modo *internas*, modo *externas*, modo utrasque conjunctim, iam *rari*, alibi *frequentius* invadentes & decurrentes annotamus *Hæmorrhoides*, quæ aliquando *longius*, quandoque *brevius ante & post partum* procedunt, nunc *mitius*, nunc *acerbius* progrediuntur, adeoque sub variante statu & gradu hæc fœminas officiunt: Haud tamen hoc themate *Hæmorrhoides Uteri*, quas *veteres & recentiores* medici agnoscunt, notamus, quæ iterum vel fluentes, vel stagnantes esse solent, quando *externa vasa*,

B

quæ

quæ in uteri cervicem terminantur, aut rumpunt, aut cum gravi dolore inflantur, vel quando in atrio & antro uteri, videlicet in vagina tales sanguinolentæ ardentes & valde dolentes protuberantiae oriuntur, quales Hippocrates lib. de Hæmorrhoidibus §. 6. text. 3. Galenus lib. de theriac. ad Pison. c. 5. Celsus lib. 6. c. 18. Cæt. Cæl. Aurelianus lib. 7. de chronic. passion. c. 4. Paræus lib. 23. c. 61. Aetius Tetrabib. 4. Serm. 4. c. 97. A- spasia de hæmorrh. uteri, Avicenna Lib. 3. fen. 21. tr. 4. c. 20. p. 945. Rod. a Castro de Morb. Mul. lib. 1. c. 5. lib. 2. c. 26. Sen- nertus Prax. Lib. 4. Part. 1. Sect. 1. c. 7. Welschius im ſebi Ammen Buch Part. 3. c. 15. p. 684. Frommannus de Hæmorrh. Part. 2. prohl. 48. in quo ex instituto hic author de Hæmor- rhoidibus Uteri tractat, Bonetus in Polyalthe lib. 5. c. 3. p. 8. & 10. Reinesius Ep. ad Nestor. 53. aliquique describunt atque allegant: quare antiquam talem Hæmorrhoidum accep- tionem hoc loco haud amplectimur, sed usu nunc rece- pto & magis genuino modo, sensu & respectu Hæmorrhoi- dum significatum accipimus, easque a reliquis, præcipue vero uterinis Hæmorrhagiis & moliminibus hæmorrhagi- cis merito discernimus: neque etiam hoc themate tan- tum sponte ac libere ingruentes motus hæmorrhoidales notamus, sed præter hosce etiam reliquos ex Graviditatis & Puerperii causis evenientes coactos tales cruciatus hæ- morrhoidales indicamus; neque porro tales processus hæ- morrhoidales absolute aut unice in Gravidis & Puerperis an- notandos esse judicamus, qui ingressu, successu & decur- su suo salubres esse agnoscuntur & dijudicantur, sed qui insuper præter ominosos suos cruciatus, sinistros etiam ef- fectus atque eventus involvunt, adeoque & Prægnantia & Puerperii statui valde præjudicioſi esse possunt & solent: ob id facile in limine præsentis tractationis liquet, quam multiplices respectus atque circumstantiae in Hæmorrhoi- dibus, præsentí labore explicandis, occurrant observan- di, conciliandi & tractandi: Et quemadmodum in gene- re

*re molimina hæmorrhagica aut actuales Hæmorrhagiæ, præcipue insolitæ, Gravidis atque Puerperis valde, si non præjudiciorum & funestarum, tamen infructuosarum & molestiarum existunt, ita non modo de Hæmorrhoidibus idem duplicitem ob rationem judicandum erit, primo in quantum illæ vel etiam libere accedentes masculino sexui magis familiares sunt, propterea que nunc singularem causam in fæminis annotandam offerunt, secundo, dum illæ confuso modo impulsa & coacte provocantur, non modo nullibi salubrem effectum præstare solent, sed & tanto magis in tali fæminarum statu eo certius, citius & facilius noxam parere possunt, aut ad minimum graves dolores facessere & connexas alias turbas & afflictiones causari solent: attamen de tali fluxu hæmorrhoidalí perinde minime judicare consultum est, ac ipse promiscue perniciosus existat, dum aliquando circumstantiae occurstant, quæ illius innocentiam & limitatam atque mediocrem utilitatem tueri & probare possunt: quos generales respectus quoad presentis tituli tenorem & candorem præmittere, subinde vero nonnulla devia obsepire & præscindere voluimus.*

## §. II.

*Antequam vero hæmorrhoidale negotium in Gravidis & Puerperis observemus generali aliqua præparatione priores respectus hæmorrhoidalis processus in fæminis annotabimus: Et ita experientia testatur, quod interdum sequiori sexui a parentibus hæmorrhoidariis, hypochondriacis, hysterics, nephriticis, arthritico-ischiadicis, podagrificis, multa colica vexatis, conatus hæmorrhoidales per hereditatem communicentur; deinde fæminæ calidioris temperamenti facilis, quam aliæ, spontaneos motus & fluxus hæmorrhoidales experiuntur, in quibus sanguis fluidior & ad motus congestorios aptior, subinde ad subeundos orgasmos pronior, adeoque ad suscipiendas commotiones hæmorrhagicas proclivior, facile ex uterinis in*

B 2

hæmor-

*hæmorrhoidalia* transgreditur loca & castra: quippe quæ  
 aëtiviores naturæ aliquando ob diversas concurrentes cir-  
 cumstantias non unica Hæmorrhagiæ specie contentæ u-  
 terinas & hæmorrhoidales commotiones commiscent: por-  
 ro fæminæ distincta sanguinis plenitudine oneratæ, aut simul  
 multis corporis commotionibus & sanguinis exæstuationibus  
 subjectæ, ut & ad sanguinis copiosiorem collectionem natura-  
 li aliquali qualitate & propensione dispositæ, bey welchen  
 leicht alles zu Blut wird, nec non in diæta plena, lauta &  
 spirituosa constitutæ, in teneriori ætate plenioribus nari-  
 um Hæmorrhagiis obnoxiae, dehinc largioribus menstruis  
 profusionibus adsuetæ, aut præter temperamentum cali-  
 dius & vitæ genus luxuriosus, simul vel libidinosis desideriis  
 & cogitationibus, vel talibus exercitationibus deditæ,  
 motus tales hæmorrhoidales paulo frequentius subeant:  
 præcipue vero hoc loco notamus, quod fæminæ in op-  
 para diæta viventes, per libidinosa & lasciva animi & cor-  
 poris opera sibi vexas hæmorrhoidales, nephriticas & po-  
 dagricas contrahant, quo subinde animus *incontinens*, in-  
 dignabundus & multis *calidis* commotionibus expositus  
 multum contribuit: quam adsertionem immoderatæ ta-  
 les mulieres tacito suo suffragio facile comprobare pote-  
 runt, sicut singulæ hæ observationes ex solida historia me-  
 dica profluunt: Et quid familiarius est, quam ut emi-  
 nenti conversione Menses in *Hæmorrhoides* transeant, sive  
 insufficienter illi fluant, sive inordinate succedant, sive præ-  
 mature suppressi fuerint, sive denique justa ætatis perio-  
 do cessent, attamen fæminæ aëtioris animi, vegetiorum  
 virium, calidioris temperamenti, plenioris sanguinis, agi-  
 lioris vitæ generis, immoderationum affectuum, lautioris  
 diætae & ante hac frequentioribus & largioribus *uterinis*  
 sanguineis profluviis purgatæ facilius hanc Mensum &  
 Hæmorrhoidum immutationem subeunt: hanc immuta-  
 tionem Mensum cum Hæmorrhoidibus multis exemplis

ac

ac testimentiis confirmarunt Frommannus de Hæmorrhī.  
 Part. Priori Probl. 29. Hollerius comment. in Hipp. Sect. 6. aph.  
 XI. Heurnius comm. sect. 4. aph. 30. Sect. 6. aph. XI. Zac. Luf.  
 Prax. adm. Lib. 2. obs. 106. (ubi afferit, quod hæmorrhoidum fluxus, suppressis Mensibus superveniens, bonus sit)  
*A. N. C. dec. 3. an. 6. app p. 99. Franckenau diss. de hæmorrh. & D. D. Præf. tr. de Hæmorrh.* è quibus locis varia alia specimina & authorum suffragia erunt colligenda: præterea fæminæ plethoricæ & temperamento quadantenus calido instructæ, quando remedia aloetica, Elix. P. P. liberatus aut frequentius ingerunt, facile ad insolitos hæmorrhoidales disponuntur motus: neque penitus rarum est, quod fæminæ sicciori aut striciori alvo molestæ, ob operosiorē ejus expressionem hæmorrhoidales afflictiones, aut analogas tales molestias, præcipue protuberantias, stagnationes &c. admodum dolorosas, experiantur: imprimis vero anomalous Mensium status facile loca hæmorrhoidalia invadi & multifariam in iisdem hæmorrhoidalem molestiam patit: quidquod speciales observationes testantur, quod fæminæ juniores, plethoricæ, calidioris temperamenti, dysenteria aliquando afflictæ, ob hanc, licet optime superatam, in futurum ad hæmorrhoidales afflictiones disponantur; id quod etiam valet de fæminis, quæ diarrhœis biliosis repetitis correptæ & paulo acerbis detentæ fuere, in quibus tandem motus ad menstruum uterinum negotium pertinentes, in hæmorrhoidalia loca exorbitant: quodsi etiam male menstruatis & subinde aliquatenus de calidiori temperamento participantibus fæminis, alia purgantia, aut clysmata & suppositoria stimulantia adhibita fuerint, tunc eadem non penitus omnimode raro ab utero in hæmorrhoidalia loca sanguinis affluxum sive regularem, ut plurimum vero anomalum seducunt: quando porro fæminæ defecatio mensium fluxu laborantes, diæta tamen admodum nutritive fruentes & in vita sedentaria

B 3

consti-

constitutæ, remediis *calidis* i. e. sanguinem valde *commoventibus* frequentius utuntur, tunc perinde hæmorrhoidales molesti conatus facile ingruunt & superveniunt: denique in variis fæminis *inconvenientia* fomenta & suffragia ad *Mensum* promotionem adhibita aliquoties motus ita invertunt, ut in aliena & proximiora quandoque hæmorrhoidalia deflectant loca: Hæ considerationes viam sternunt, quo *Hæmorrhoides* in *Gravidis* ac *Puerperis* facilius tam quoad *signa*, quam quoad *causas* agnoscantur.

## §. III.

Quemadmodum itaque *Hæmorrhoides* in fæminis multiplicibus occasionibus observatæ sunt & in veritate facti satis superque innotuerunt, ita præcipue *motus* & *fluxus* hæmorrhoidales, nunc *liberi*, alibi *coacti*, modo *leves*, mox *graves*, jam *salubres*, alioquin *molesti* & *nocivi* in *Gravidis* & *Puerperis* annotati sunt, qui *curatiorem* attentionem & explicationem, imo directionem requirunt, quo *facilius* fæminis, in tali *statu* viventibus, *inconsueti*, aut *minus* proprii & congrui, aut multis *anomalicis* decurribus obnoxii motus in *præjudicium* cedere solent: quemadmodum *exorbitantes* & in *insolita* loca deflectentes commotiones sanguinis alias *facilius* in *detrimentum*, quam *emolumentum* vergunt; quam ob rem in genere *Hæmorrhagiæ* in *Gravidis* *sensibili* & provido dijudicantur affectu, quoniam eædem *facilius* & *frequentius* *minus* prosperos, quam *salubres* effectus post se trahere solent, hinc attenti medici *passim* tales *Hæmorrhagias* per modum *observationum*, tanquam rem *insolitam* atque raram commemorarunt, aliorumve *judicio* commendarunt, quando eædem aut *nullum* *damnum* attulerunt, aut potius *a&guale* *commodum* contulerunt: Et sicut in *præcedentibus* indicatum *suit*, quod in *sequiori* sexu *negotium hæmorrhoidale* cum *Mensibus* alternare soleat, ita *providi* *præctici*

Elici prohibuerunt, ne mulieres Hæmorrhoidum apertioni  
 adsuefiant, indeque Menstrua purgatio cum sterilitatis peri-  
 culo suppressimatur vid. Bened. Sylvaticus Conf. & Resp. Cent. 4.  
 conf. 100. p. 383. quare vicissim Avicenna lib. 1. sen. 4. doctr. 5.  
 c. 3. p. 194. & lib. 3. sen. 17. tr. 1. c. 2. p. 844. ut & cum eodem  
 omnes reliqui attenti & periti practici in Fæminarum  
 Hæmorrhoidibus providam Mensium promotionem com-  
 mendant: hinc quæstio illa in medicina mota & venti-  
 lata fuit, an mulierum purgationi hæc per hæmorrhoides e-  
 vacuatio æquiparanda? vid. Frommannus de Hæmorrhoidibus  
 Part. I. probl. 30. quidquod Experientia docet, quod Hæ-  
 morrhoides interdum cum muliebri fluxu simul orian-  
 tur, id quod recensuit & suo calculo illustravit From-  
 mann. l. c. Part. 1. probl. 29. consentientibus Sennerto, Wede-  
 lio, Bartholino: vicissim etiam Practici testantur, quod  
 Hæmorrhoides aliquando Mensium suppressionem tollant,  
 uterumque fæcundum reddant, id quod ex Hier. Fabritii  
 testimonio allegavit Frommannus Part. 2. probl. 36. Ex ha-  
 c etenus dictis vero illud indicare voluimus, quod Hæ-  
 morrhoides in fæminis ut plurimum libero & legitimo  
 Mensium statu quadantenus aliquod præjudicium afferant,  
 hinc in Gravidis illi motus hæmorrhoidales facile cum  
 anomalo Mensium statu conspirare solent: sicut vero  
 porro Mensium anomaliæ in Gravidis valde sunt suspectæ,  
 irregulares etiam commotiones sanguinis in Puerperis  
 perinde omnino sunt, ita Hæmorrhoidales motus in Gra-  
 vidis & Puerperis facile de anomalicorum Mensium affini-  
 tate suspecti evadere possunt: ne vero unquam illi mo-  
 tus indiscriminatim aestimentur & dijudicentur, dum ali-  
 quando aliquid salubritatis illis ad & inesse potest, hinc  
 perito & provido scrutinio illi inquirendi & comparandi  
 sunt: ad minimum illud facile patescit, quod primo in  
 Gravidis & Puerperis urgens & turgens plethora sit nociva  
 atque multarum calamitatum causa & mater; deinde  
 quod

quod in *mediocriter plethoricis & quibus sanguis oneri non est*, sub *Graviditate Hæmorrhagia* succedere haud debeat, quia *accremento fœtus illa valde præjudicat & subinde naturam ad Abactionem disponit & allicit*; porro quod in *Puerperis sanguinis purgatio ex utero absolute necessaria sit*, quæ si deficit, non modo hac sua *carentia eximum periculum portendit*, sed & si *anomalicæ commotiones & eluctationes sanguinis superveniunt*, eo *ominosier* tunc redditur totus *fæminæ status*: quare per *Hæmorrhoides* in *Puerperis* directè, proprie & proxime *uterus* haud purificatur, quin potius si illæ *prodige* fluunt, uteri *mundificationem & tempestivam consolidationem*, ob *sanguinis majorem declinationem* in *aliena loca*, impediunt: quid quod aliunde provocati motus *hæmorrhoidales reliquum legitimum Lochiorum successum* valde *turbare* possunt, imo actu etiam solent, quando multi *spasmi*, *irregulares congestiones* atque *dolores eximii* concurrunt.

## §. IV.

Sed duin jam *Hæmorrhoides* in *Gravidis & Puerperis* *speciali studio explicare cogitamus*, non inconsultum esse ducimus, quando nonnulla *probata suffragia peritorum Medicorum* producere digna *judicamus*, quibus testamur, quod hæc *observatio* non *levi penitus animo* *estimata & tractata* fuerit, unde ab attentis practicis illa semper *selecto studio annotata & commendata* inclaruit: Tales *Hæmorrhoides* in *Gravidis* recensent *Hollerii Scholia* *ad cap. 55. lib. 1. de morb. intern. Schenckius lib. 3. tit. de Hæmorrhoidibus obs. 9. A. N. C. dec. 1. an. 4. p. 299. an 3. obs. 22. an. 6. obs. 63. dec. 3. an. 6. app. p. 99. ad obs. 22. Rondeletius lib. 3. c. 23.* qui confitetur, quod *difficulter parientibus hæmorrhoides orientur*: porro *Zac. Lusitanus M. P. H. Lib. 1. hist. 32. obs. 27.* sub titulo *Nonimestris epilepsia correpta, birudinibus sedi applicitis, curatur*, hanc commemorat *historiam*:

riam: *fæmina Gravida nonimæstris, carnoſa & juvenis, ex consueta hæmorrhoidali vacuatione diu suppressa, in gravissimam incidit epilepsiam, qua cessante melancholicum patiebatur delirium: hæc præter acria enemata & partium inferiorum diversiones & secas in utroque talo venas, non nisi hirudinibus sed iter applicitis convaluit & felicissime peperit: tales conatus & molestias hæmorrhoidales in Gravidis confirmantur Mauriceau lib. i. c. 18. Welschius im Heb. Ummen-Buch Part. 2. c. 26. & Part. 3. c. 15. Etimullerus in Praxi ubi Mulierum Morbos tractat Sect. 6. art. 19. c. 3. Zwingerus in Theatr. Prax. Med. tit. Gravidarum symptomata p. 455. ubi de tumore hæmorrhoidali ultimis gestationis Mensibus occurrente differit: Sennertus Prax. Lib. 4. Part. 2. Sect. 5. c. 5. Bonetus in Polyalthe Lib. 5. c. 25. p. 258. Frommannus de Hæmorrh. Part. I. probl. 29. Franckenau dissert. de Hæmorrh. & Satyr. Med. p. 449. 450. qui illa allegat, quæ Frommannus annotavit, Corbejus in Gynæceo, Ballenius de virginum & Mulierum morbis, de Heredia Tom. 4. Opp. de Morb. Mulier. & gravid. Primirosius de Morbis Mulierum, Lud. Mercatus in Gynæceo, & Sebitzius de Hæmorrhoidibus, Duretus annos. Lib. 1. c. 55. Hollerius de morb. intern. qui singuli aliqua de Gravidarum Hæmorrhoidibus vel fluentibus vel intumescentibus & stagnantibus proferunt: Sed neque Puerperæ ab ejusmodi motibus, conatibus & ipsis plane fluxibus hæmorrhoidibus penitus immunes, quin interdum iisdem evidentius & eminentius subjectæ sunt, cujus observatio- nis varia subinde testimonia ex experientia medica occur- runt, qualia hoc etiam loco & ordine allegare lubet: For- restus Lib. 3. obs. 5. reminiscitur sœminæ, quæ fere semper in Puerperio Hæmorrhoidum dolores passa fuerat: ita etiam Swalke in disquis. therap. p. 117. testatur, quod ex defectu Lochiorum, aut Mensium hæmorrhoidales venæ aut in- tumescant, aut aperiantur, quæ suffragia proferunt From- mannus & Franckenau loc. citatis, idem confirmatur in*

C

A,

*A. N. C. dec. 1. an. 3. obs. 22. p. 53.* & a *Rondeletio l.c.* qui diffi-  
cilem partum accusat, conf. etiam *Mercatus de Morbis Pu-  
erperarum & Ranchinus tr. de morbis ante partum, in partu  
& post partum:* neque plurimorum attentorum & peri-  
torum practicorum testimonia deesse possunt, siquidem  
hæc observatio alias in communem massam thematis in  
*abstractiori* sensu considerati de *Hæmorrhoidibus Fœmina-  
rum* conjecta fuit; sed dum nos præsenti labore tales ob-  
servationes dispescimus & in classes congruas redigimus  
ac distribuimus, ita seorsim etiam hæc peculiaria suffragia  
ineulcamus: hisce vero *selectis* præmissis observationibus  
aliquas selectas conformes & *connexas* animadversiones  
*practicas* apponere lubet & quidem unam quæ *Graviditatis*  
statum respicit, dum in *A. N. C. dec. 1. an. 4. app. p. 281.* re-  
cenetur historia, ubi fœmina extra imprægnationis ter-  
minum *Menstruis* laboravit *Hæmorrhoidibus*, præter con-  
currentem Menstruum fluxum sexui proprium; quando  
vero fœmina illa *imprægnata* fuit, tunc *Hæmorrhoides* una  
cum *Menses* cessarunt: altera observatio allegatur a *Sme-  
tio in Miscellaneis Lib. X. p. n. 568.* quæ *Hæmorrhoidum* flu-  
xum in muliere *lacante* enarrat: Interea priores obser-  
vationes aliquot exemplis augere & illustrare possemus si  
in *Casibus* recensendis diu immorari animus esset: inte-  
rim unam historiam de *Gravida*, alteram & *puerpera bre-  
vibus* commemorare placet: illa etiam extra *ingravidationis* statum *hæmorrhoidales* experiebatur conatus, qui  
sub *Graviditate* eo *immoderatores* & cum fluxu atque al-  
ternante protuberantia ardente & urgente tanto acerbio-  
res in fœmina quadam generosioris profapiæ calidioris  
temperamenti & luxuriosi vittæ generis, erant: hæc post  
*præmaturam* *Lochi* orum cessationem, vehementioribus  
*motibus* *hæmorrhoidalibus* affligebatur, qui præter pau-  
cam sanguinis evacuationem tanto *graviores furores* &  
ardores formabant & tandem in *purpuram* aliquam peri-  
culo-

culosam transiebant: sufficerit itaque in biga hac casum practicorum, quam facile pluribus augere possimus, acquiescere.

## §. V.

Ordo praesentis tractationis dicit nos ad *Historiam* hujus thematis explicationem, in qua primo loco de certis ac peculiaribus circumstantiis, in subjectis concernendis, verba quædam facere lubet: Fæminæ itaque quæ sub *Graviditatis & Puerperii* statu *haemorrhoidalibus* motibus obnoxiae redduntur, sunt communiter concitatæ & inflammatae indolis, *indignabundis* & imperiosis animi affectibus deditæ, in varias alias *impetuosas* & immoderatas animæ operationes pronæ, aliquando *luxuriei & libidini* vel cogitationibus vel actibus indulgentes, in actibus *matri-monialibus* copulæ carnali valde æstuosæ aut immodicæ, iisdemque sub *Graviditatis* statu frequentius deditæ, subinde etiam eminentius *plethoricæ*, strenuis conatibus *haemorrhagicis* obnoxiae, largiori & promptiori *Mensum* succelli antehac adsuetæ, sicut de illa scœmina cuius A. N.C. in dec. 1. an. 6. obs. 63. reminiscuntur recensetur, quod quinto ætatis anno Menstruum fluxum fuerit passa: quæ porro diætæ plenæ, spirituosa & voluptuaria addictæ sunt, quæ frequentioribus corporis & sanguinis præcipue commotionibus operam dant, quæ interdum *medicamina calefacientia* stomachica, uterina & emmenagogæ usurparunt, imprimis copiosa *crocata* & *castorina*, cruda & larga *aloetica*, *sulphurata*, oleosa, resinosa, Elixiria *Uterina*, pilulas communes aloeticas, Elix. P. P. balsam. sulph. & harum qualitatum alia, quæ sanguinem valde commovent & ad impetuosas commotiones *haemorrhagicas* disponunt: quæ sub *Graviditate* prædictæ diætæ & talium medicaminum usum continuant, quæ porro liberaliori *vini exotici* generosi ingestione, sanguinem valde impellunt, quæ ex hereditaria dispositione liberalioribus commotionibus *haemorrha-gicas*

gicis sunt subjectæ, quæ præter temperamentum' calidum & plurimas prædictas qualitates alvum aliquoties sensibilius stimulo majori provocant: quæ sub inordinato alvi successu communes compositiones aloeticas, aut clysmata & suppositoria acria & stimulantia adhibent, quæ in Uteri afflictionibus fomentationes stimulantes, usurpant: quæ præterea repetitis hilioſis alvi fluxibus tam extra, quam intra ingravidationis statum vexantur, quæ fccitate alvi labrant, adeoque cum operosa eniſione excretionem alvi adjuvare debent, quæ ob acriorem excrementorum & humorum qualitatem in locis sedalibus frequenter pruritus, ardores & molestias experiuntur, quæ ob temperamenti & vitæ generis rationem fortioribus motibus, Mensum successum promoventibus, adſuetæ fuere; quæ tanto magis ad hasce commotiones hæmorrhoidales sub Graviditate & Puerperio disponuntur, quando extra tales statum hæmorrhoidales motus fuerant perpeſſæ, quæ sub prægressa ingravidatione cum euphoria Menſtruum fluxum aliquoties expertæ, qui sub præſenti graviditate deficit, adeoque in alias jam vias defleclit: quæ grandiorem gestant embryonem, qui sua mole libero sanguinis progressu multam injicit reñoram; in quibus fœtas magis posticam, quam antican abdominis regionem implet, adeoque venas hæmorrhoidales in & externas aggravat, proptereaque in regionibus & locis hæmorrhoidalibus infarctui & stagnationi sanguinis facilem anſam præbet: quæ sub Graviditate alias subiecta aut diætetico, aut medico scopo frequentius & copiosius ingerunt, quæ Hæmorrhoides impellere possunt & solent: quæ sub minori etiam fœtus mole, tamen multum sanguinis colligunt & per prædictas varias circumstantias diversis impulsibus & commotionibus eludatoriis subjiciuntur: quæ sub plethorico ſuo ſtatu, temperamento calido & luxurioso vitæ genere aliquoties colicis tormentibus affliguntur: Multæ ex hactenus allegatis circumstantiis

stantiis etiam *Puerperas* attinent, quæ & quando *hæmorrhoidalibus* talibus motibus, fluxibus & molestiis submituntur: in quibus seorsim adhuc notare convenit, quod *difficilis* ac *laboriosus* partus prægressus, *Lochiorum immutatus* successus aut suppressio, pertinaciores dolores *post partum* perseverantes, *tenesmi*, graves partium mulierium *intumescentiae* & connexæ *repressions* sanguinis in *vicinas* alias partes & regiones, alvi *siccitas* & *concurrens anxius* desidendi conatus &c. in talibus puerperis obseruentur, quæ dehinc *hæmorrhoidalia* illa pathemata experiuntur: Hasce principales qualitates in subjectis, præsentis thematis, sub sedula observatione colligere & ad ulteriore pathologicam & therapevticam applicationem ducere decet; siquidem in iisdem *certæ, solidæ* & evidentes etiam causæ hærent, quæ ad *Hæmorrhoidales* motus in *Gravidis* & *Puerperis* disponunt.

## §. VI.

*Hæmorrhoidal* itaque status in *Gravidis*, quoad *Historicam* ejus deductionum pro differentia aut *fluentium* aut *molientium* aut *stagnantium* *Hæmorrhoidum* sequentes complectitur circumstantias: *erumpunt* itaque in *aliquibus Gravidis Hæmorrhoides primis* præcipue *imprægnationis* factæ Mensibus, quo tempore *menstrui* fluxus *vices* subeunt & si *moderate* procedunt, *plethoraicas* fœminas omnino levant atque a variis *molestiis* præservant, unde *salubritatem* suam facile produnt, siquidem per *paucos dies* continuant & in *moderata* sanguinis fluxione & evacuatione acquiescunt, licet *consuetæ* commotiones & sensationes, quæ *alibi modicum* *Hæmorrhoidum* fluxum comitari solent, etiam in *Gravidis* concurrant: & quando *extra* *ingravidationis* statum *alioquin* sanguis per *bunc* fluxum se purgavit, modo totus processus *placidus* fuerit, tunc *recurrentis* hæc *Hæmorrhagia* nihil mali portendit: quando vero in *aliquibus Gravidis* aut *ægrius erumpit*, aut

C 3

impe-

*impeditius & parcus succedit, tunc indolentiores & graviores molestias una afferit, Gravidis usitata pathemata suggit & exacerbat, nec non ad abortum plene disponit; inde uteri & intestinorum spasmi concurrunt, sanguis ominosis congestionibus & ebullitionibus subjicitur, organa quædam abdominalis majori sanguinis copia oppalentur insuperque angustiæ, torsiones, alvi & urinæ turbæ &c. invitantur: quamobrem talis *impeditus* Hæmorrhoidum successus cum gravissimis spasmis, per abdomen graftantibus, alternat, internos ardores, aut aliquando syncoptico-emeticas afflictiones in consensum trahit: concurrunt quandoque *præjudiciosi* tenesmi & anxii conatus ad desidendum, quæ singula pathemata anomalis motibus, hæmorrhoidalē negotium respicientibus, nituntur: & hic posterior status neutquam Gravidis fructuosus, quin verius *ominosus* existit: ut plurimum apertæ tales Hæmorrhoides solito frequentiorem stimulum exonerandi alvum inferunt, qui tanto magis molestus & suspectus est, quando citra actualē evacuationem alvi, in nudo conatu subsistit; evenit etiam, ut in adiutis fœminis, Menstruū etiam periodis aut legitimis, aut difficilis Hæmorrhoidum fluxus primis Graviditatis temporibus invadat atque recurrat, qui sub tali qualitate tanto circumspicitus dirigendus est: quo diutius vero in ipsum Graviditatis terminum continuat, eo magis suspectas convocat afflictiones & a salutari scopo, successu & affectu abjudit: neque desunt exempla, quæ hujus fluxus invasionem ultimis gestationis temporibus confirmant: ita D.D. Præsidi hic loci obtigit casus in juniori adhuc, plurium tamen infantum fœmina, quæ medio graviditatis tempore largam hæmorrhoidalem profusionem citra ullum tamen damnum perpetua fuit, modo illam colicæ quædam torsiones comitabantur & aliqualis virium languor conseqüebatur: eadem etiam fœmina primo ingravidationis Mense, uterinam menstruam purgationem subiit*

subiit, altero hæmorrhoidalem, tertio iterum menstruam, quarto vero finito, circa quinti initium denuo larga continet hæmorrhoidalis evacuatio & sic hic lusus sanguinei purgaminis acquievit: Molimina hæmorrhoidalia, quod attinet, tunc eadem paulo frequentius annotantur, ac adularis fluxus, siquidem talia interdum a primis gestationis terminis usque in ultimos repetunt & corripiunt, nunquam vero quiete decurrunt, quin magnas faceant molestias; etenim aliquando in interioribus corporis regionibus suas exercent vexas, aliquando in externa hæmorrhoidalia loca emigrant, ubique vero dolorificis tensionibus, stricturis, alvi sensibilibus incommodis, tenesmis, ardoribus, colicis molestiis, lacinatoriis & punctoriis intestino recto obvias cruciatibus, appetitus turbis, virium languoribus, somni perversione, extremitatum horripilatione, pedum torpore, nauseabunda molestia &c. se produnt: tandem etiam stagnantes Hæmorrhoides, præcipue circa ultimos gestationis Menses irruunt, interim sub alvi duritate & insolita stricitura primis etiam imprægnationis terminis occurrere solent, quare interdum ad imprægnationis signa referri solent: non rara hæc est Gravidarum afflictio, unde communiter ab illis qui Gravidarum Morbos explicarunt, recensetur, siquidem protuberantiae illæ sanguineæ in locis hæmorrhoidalibus aliquando cum interdum sine motibus hæmorrhoidalibus magnas vexas infligunt.

## §. VII.

Nunc in Puerperis hæmorrhoidales affectus & afflictiones perlustrabitur & quæ singulares animadversiones ex Historia medica in iisdem occurrent, indicabimus: rarius quidem actualē Hæmorrhoidum fluxum experiuntur Puerperæ, dum Lochiorum fluxu in hoc statu ordinarie se purget uterus, cuius impeditus fluxus in fæminis plethoricas, sensilibus & calidioris temperamenti facilis & frequentius in acutos aut inflammatorios febriles affectus degenerat:

inte-

interim aliquando evenit, ut fæminæ, quæ ante hac motibus hæmorrhoidalibus obnoxiae fuerant, nunc sub imminuto, aut suppresso Lochiorum fluxu, hæmorrhoidalí commotione & purgatione corripiantur, qua deflecente sanguinis evacuatione pristinus compensatur defectus, in quo statu iterum legitimu[m] Hæmorrhoidum successus illa periculosa avertit & intercipit pathemata, quæ alioquin ab ominosa Lochiorum suppressione ortum trahere solent; quando itaque sub prædictis circumstantiis Hæmorrhoides moderate fluunt, utilitate sua haud destituuntur: interea in Lochiorum Suppressione in talibus fæminis facile ingruunt mitiores dolores pressorii ac tensorii, una cum tenesmis & urgente ad desidendum conatu: accidit vero, ut sub tali rerum facie aliquando largius Hæmorrhoides fluant, siquidem alias vicariæ Hæmorrhagiæ modum & moderamen interdum excedere solent, qualis prodigus sanguinis fluxus deinde varia alia incommoda affert & salutarem decursum atque effectum fallit: interim etiam evenit, ut quandoque hæmorrhoidalibus fluxus, Lochiorum defectum supplens, cum multis angentibus & urgentibus Colicis cruciatibus succedat, quemadmodum in Puerpera quadam Dn. D. Præses hunc observavit dolorem, ut post triduanum Lochiorum successum Hæmorrhoides cum multis doloribus per octiduum continuaverint, sed post longam demum moram, circumstans aliquot septimanis, hæc fæmina quadantenus viribus necessariis instructa convaluerit: exinde liquet quod hæmorrhoidalis hic fluxus etiam in Puerperis variis anomaliis sit subiectus, quæ propterea reliquo Puerperii statui valde sunt prejudiciosæ: quid quod exempla docent, quod post operosiorum partam in certis fæminis Lochia & Hæmorrhoides simul fluxerint, sicut interdum Menses & Hæmorrhoides uno eodemque tempore procedere solent: quando vicissim sub Lochiorum suppressione Hæmorrhoidum fluxus difficiliter erumpit & parcius succedit, tunc varia coincidunt

cidunt pathemata, præcipue spasmodica, semi convulsiva  
 quasi hysterica, cum multa inquietudine, abdominis regionem affligente & angustante, conjuncta, turbulentam etiam alvi commotionem & evacuationem inferentia, suspectum ardorem, sanguinis orgasticum, aut plane febrilem motum, continentia & multis modis minus prosperum successum promittentia: Neque penitus in Puerperarum afflictionibus molimina hæmorrhoidalia incognita sunt, quæ perinde anomalam Lochiorum statum in certis fæminis quandoque comitari solent, sed quæ molimina etiam variis anomalis successibus sunt obnoxia, dum internis & externis molestiis affligunt, adeoque salutari effectu & eventu destituuntur, imo hi vani conatus hæmorrhoidales ut plurimum acerbius fæminas affligunt, quam prædicti, anomali quamvis fluxus, siquidem interdum in confinia hæmorrhoidalia, motus, Lochiorum fluxum prosequentes, impetuosiore vehementia decumbunt, propterea que periculosiores affectus complicatos spastico-convulsivos, congestorio-inflammatorios, orgastico-febriles, stagnatorio-gangrænodeos, aut sphacelosos post se trahunt: unde sub dolorum sensibiliorum graviori accremento motus, Lochiorum promotionem concernentes, aut vicaria evacuatione prosequentes & compensantes, magis perturbantur, afflictæ vero Puerperæ viribus plus destituuntur: sub tali calamitoso statu concurrunt quandoque cardialgiæ syncopticæ, palpitationes cordis, maxime indolentes strictræ in mesenterio, mox pertinaces alvi occlusiones, mox molesti & vani conatus alvinam excretionem urgentes, modo tenesmi cum lancinatoriis ani doloribus conjuncti, quibus se se aliquando valde affligentes Rhagades sociant, quæ sub currente motu congestorio aut in inflammatorium affectum, aut in perniciosa degenerant ulcerationem: frequentius vero Puerperæ experiuntur tubercula in hæmorrhoidalibus locis cum eximiis doloribus stipata, quæ

D

ali-

aliquando extra affinitatem reliqui negotii hæmorrhoidalis invadunt, interdum vero ob sensibiles dolores motus hæmorrhoidales, in & externæ prospicere, provocant, & hinc tanto graviorem excitant afflictionem: tales intumescentiae in locis hæmorrhoidalibus sœpe reliquum legitimum lochiorum fluxum comitantur, interim per concurrentes graviores & sensibiliores dolores facile motum sanguinis circa uterina loca turbare & avertere possunt, ut anomalicus status se Lochiorum successui jungat, indeque duplicatum oratur malum: & huic sati molestæ afflictioni communiter irregularis alvi successus se conjungit, hinc modo suspectæ flatulentiae, modo intestinorum torsiones, modo anxii conatus excretorii & alvum exonerantes superveniunt, quæ eximiam malorum catervam Puerperis admodum inimicorum accumulant.

### §. VIII.

Tradita hactenus *Historica Hæmorrhoidum in Gravidis & Puerperis delineatione*, proximum nunc erit, ut aliquas observationes, quæ ad *Prognosticam* hujus thematis considerationem pertinent, subnectamus: quare sciendum quod Hæmorrhoides sub graviditate aut Puerperio moderate fluentes, nihil per se damni afferant, quin potius salubres existant, quando vel *antea ejusmodi fæminæ talia purgamina hæmorrhoidalia cum fructu expertæ sunt*, vel ratio dietæ, temperamenti, status plethorici, aliarumque connexarum circumstantiarum eadem excusant: quemadmodum itaque in plethorici *Gravidis* aut *opportuniis Mensium* fluxus, aliquandiu continuatus, aut congrua artificialis sanguinis subiratio non exiguum confert opem, ita harum evacuationum vices legitimus *Hæmorrhoidum* fluxus aliquando in *Gravidis* ferre solet: quando etiam *Lochiorum imminutionem* aut plenariam *suppressionem modicus & tranquillus Hæmorrhoidum* fluxus excipit, bonum omnino signum est, inde enim communiter *periculosa & pernicio-*

nicioſa illa conſectaria p̄eoccupantur, quæ p̄ædictas Lo-  
chiorum turbas comitari ſolent: quotiescumque tamen  
aut in Gravidis aut Puerperis excessivus, ſimultaneus & im-  
petuosus eructat fluxus hæmorrhoidalis, toties inde nulla  
ſalubritas promitti & expectari poteſt, quin rectius prava  
p̄ædicenda & metuenda ſunt conſectaria: porro diffici-  
lis, parcus & dolorificus fluxus Hæmorrhoidum non modo  
nihil levat, ſed & varias connexas afflictiones, Graviditati &  
Puerperio admodum p̄æjudiciosas, provocat: quando  
præterea hic extraordinarius ſanguinis fluxus cum acerbio-  
ribus commotionibus ſanguinis orgasticis, deinde congeſto-  
riis & ſpasmodicis coniunctus eſt, tunc vel Abortus metuen-  
dus, vel in utero ſuſpeda pathemata extimescenda ſunt,  
quæ vulgo vocant Mutter-Fraß, qualia ſunt convulſiva,  
cum pernicioſa humorum stagnatione coniuncta: quando  
Graviditatis atque Puerperii ſtati extra conſuetum mo-  
dum atque ordinem hæmorrhoidales motus ſuperveniunt,  
tunc iidem facilius in anomalam, ſi non plane pravum,  
quam commodum & bonum ſtatim inclinant, niſi di-  
ſtinctæ qualitates boni moderaminis in tali negotio hæmor-  
rhoidali obtingant, ſiquidem alias in viris primæ Hæmor-  
rhoidum eruptiones ſenſibilibus quibusdam paſſionibus at-  
que incommodis ſtipatae eſſe ſolent: quando porro hæmor-  
rhoidalis fluxus proxiime circa tempus partus occurrit,  
tunc prudenter omnes circumſtantias peritus medicus  
deliberare & conneſtere debet, ſiquidem ſub certis reſpe-  
ctibus ipſe aut proficuus, ſub aliis vero nocivus eſſe poteſt:  
etenim ſi in fæminis plethoricis ille moderate ſuccedit, tunc  
haud ſuſpectus eſtit: id quod etiam judicandum eſt, ſi  
paucis poſt puerperium hebdomadibus in ejusmodi fæ-  
minis, quæ p̄cipue aut maturo obitu nato infante orba-  
tae ſunt, aut quæ laclare vel non volunt, vel non poſſunt,  
Hæmorrhoides erumpunt & modico tempore continuant:  
Quodſi vero ſponte motus hæmorrhoidales ſine fluxus ſuc-  
ceſſus

*cessu affligant, vanis conatibus se prodant, insuper multas  
 molestias facessant, seorsim vero ordinariarum evacuatio-  
 num turbas afferant gravesque dolores inducant, tunc &  
 Gravidis & Puerperis hoc Hæmorrhoidum schema com-  
 modum conciliare haud potest: Quo graviores sunt furo-  
 res & dolores hæmorrhoidales in talibus personis, eo cer-  
 tius ac facilius *sinistrorum* effectuum causa fieri solent, dum  
 reliquos motus tamen ad *ordinarium* vita cœconomiam spe-  
 stantes, quam ad *Graviditatis & Puerperii* statum necessa-  
 rios & congruos valde pervertere & immutare possunt,  
 unde non nisi *prava* consectaria expectanda sunt: ob id  
*Sennertus Prax. Lib. 4. Part. 2. Sect. 2. cap. 5.* dicit: *Si Hæ-  
 morrhoidum fluxus adsit, ne dolor accedat cavendum, aut si  
 adsit, is mitigandus, ne altero in consensum tracto, abortus se-  
 quatur.* Quando præterea *coacto* quodam modo stagnatio-  
 nes in locis hæmorrhoidalibus oriuntur tunc ejusmodi sta-  
 tus sive plus, sive minus de reliquo processu hæmorrhoidalí  
 participet, nihil utilitatis promittit, sed præter dolorum  
 intensissimorum comitatum varias alias *Graviditatis &*  
*Puerperii* statui præjudicioras *turbas* & afflictiones causa-  
 tur, id quod eo majori valore & certiori effectu contingit,  
 quo magis *alvina* liberatio pervertitur & impeditur; ob id  
 communi assensu authores tales afflictiones morbosis val-  
 deque *ominosis* pathematibus annumerant: quo *sensi-  
 biles* fæminarum sunt naturæ, eo graviores & deterioriores al-  
 terationes, ab ejusmodi *coactis* protuberantiis hæmorrhoi-  
 dalibus metuendæ sunt, id quod etiam valet de fæminis  
*admodum* plethoricis: quo magis *calidum* temperamen-  
 tum, mores *impetuosi* & vita genus *voluptuosum* est in ta-  
 libus hæmorrhoidariis fæminis, eo facilius vel *fluxus* vel  
*conatus* hæmorrhoidales *suspectas* assumunt qualitates:  
 quid quod *anomalici* tales motus hæmorrhoidales, perti-  
 naces *spasmos* involventes, ad *difficilem* partum & *connexa*  
*Lochiorum* vitia disponunt, siquidem alias *irregularis* mo-  
 tus*

tus sanguinis in *abdomine* & Gravidis & Puerperis valde inimicus est, dum illis proclivitatem ad *abortum*, his vero ad *laboriosum* partum, incongruam *uteri* purgationem aliaque gravia pathemata conciliat: quando porro fluxus & conatus hæmorrhoidales in talibus fæminis per quales. cunque *animi*, *dætæ* & *regiminis* rationes turbantur & qui- dem vel impelluntur, vel repelluntur, tunc *damnum* inde ex- pectandum eo *gravius* est: denique in genere sciendum, quod quilibet Hæmorrhoidum status in hisce personis *plus sensibilis* & facilius *offensionibus* obnoxius existat, quam in aliis subjectis. Et hæc quoad *Prognosticam* præsentis the- matis explicationem sufficient.

## §. IX.

Exposita itaque præsentis thematis Historia, excipit jam *Pathologica* hujus observationis deductio, in qua tra- denda mox indicamus quod *formalis ratio* & *velut definitio* Hæmorrhoidum in Gravidis & Puerperis, quoad *non nullos* respectus discrepet: ita enim aliquando Hæmor- rhoides illæ sunt *salutaris* operatio naturæ, sanguinis *mo- lestam* copiam, *Graviditatis* statui, aut *purgando* & *consoli- dando* utero læso aut *Lochiorum defecivo* successui præju- dicialem, *vicaria* quadam evacuatione imminuens: hinc in variis Gravidis sanguinis plenitudo valde est insensa, dum eadem & corpus *Gravidæ* & corpusculum *embryonis* aggravat, ne itaque *utrique* subjecto eminentia superveniat *damnum*, non raro provida natura *rationali* directorio per *Mensiam* modicum, repetitum & opportunum fluxum ab hoc *onere* se liberat, proptereaque multæ *incommoda* in- tercipit, siquidem præcipue *sanguis*, qui alioquin, si *ube- rior* fuerit, *abdominis* viscera opplet & per regionem ab- dominis *ægrius* progreditur, nunc in hoc progressu *adju- vatur* subinde etiam *connexæ naturales* se & *excretoriæ fun- ctiones* pro noventur & negotium *formationis* in utero *indubio* effectu allevatur: quo magis itaque hic processus

D 3

mod-

moderate atque placide decurrit, eo meliorem & certiorem  
 usum ipse promittit; quando vicissim hic actus, ad salu-  
 tarem etiam talem scopum directus, impedit, aut inordi-  
 nate procedit, tunc incongruae hæc qualitates salutarem exi-  
 tum sufflaminant & contrarios plane effectus, a principaliori  
 destinatione judiciose separandos & discernendos, pro-  
 vocant: tanto magis vero talis vicaria operatio salutem  
 naturalem promittere potest, quando alioquin quædam  
 subjecta qualibuscumque etiam congruis causis atque re-  
 spectibus in hanc hæmorrhoidalem profusionem inclinant,  
 aut quando sub Mensium restitutio, urgente tamen sangu-  
 inis quantitate hanc e vicinia succedentem evacuationem  
 moderato experiuntur tramite: ob id facile liquet, quod  
 vani & turbulenti spasmi rarius ac difficilius, uti in gene-  
 re, ita seorsim in talibus foeminis hæmorrhoidalem flu-  
 xum causari queant, qui rectius per simplices & eviden-  
 tes leges physico-mechanicæ fluxum sanguinis impedire &  
 cohibere deberent, siquidem vel per spasticas commotio-  
 nes sanguis plane aliorum premitur, quo minus per ar-  
 terolas, aut venulas erumpere queat, vel ubicunque jam a-  
 ctualis apertura præsto est, ibi quotidianis experimentis  
 oppressio hæmorrhagiarum ab iisdem spasmoidicis motibus  
 facile derivari potest; & mirum subinde esset, cur æque  
 fortuitus & turbulentus ille spasmorum effectus illas ve-  
 nulas dilaceret & durrumpat, ex quibus sanguis tali pro-  
 portionato statu extravasationem subire possit, ut denique  
 extra corpus sanguis ille extravasatus effluat, neque in ab-  
 dominis cavitatem illa diffusio contingat, quæ posterior  
 extravasationis species per rationes physico-anatomico me-  
 chanicas longe facilius contingere posset, quam prior:  
 Tale salutare itaque naturæ institutum hoc cum aliis ra-  
 tionaliter susceptis operibus humanis commune habet, ut  
 aliquando profere succedat, exeatque, inter dum vero ob  
 multifaria intervenientia impedimenta salutari suo eventu  
 deficiat.

*destituatur, ob quod contingens haud confessim tale rigo-*  
*rosum judicium, aut rectius præjudicium, assumendum &*  
*declamandum est, quasi processus hæmorrhoidalis aut ab-*  
*solute tumultuarius & perniciosus, aut non nisi fortuito sa-*  
*lubris existat, quod iniquum conclusum illi imprimis de-*  
*cernunt, qui ex curiositatis & otiosæ novitatis fervore &*  
*studio nihil rectum esse putant, nisi quod tantum & uni-*  
*ce, posthabitæ reliquis rationalibus respectibus & causa-*  
*rum nexibus, physicis contemplationibus, si non verius*  
*speculationibus, falsis suppositis, lepidis assimilationibus &*  
*per crines contractis aut a baculo ad angulum conclu-*  
*dentibus applicationibus respondere videtur: Proinde*  
*in tali negotio hæmorrhoidalí singularis illa naturæ pro-*  
*videntia occurrit, ut dum sanguis ad vasorum quorun-*  
*dam uterinorum oscula erumpit, inde forte teneriori & sen-*  
*sibiliori embryoni aliqualis suspecta alteratio accidere*  
*possit, ita ex alio loco necessaria talis sanguinis ventilatio*  
*instituitur, qua specie Hæmorrhagiæ nihilo minus internæ*  
*abdominis viscera a molestæ & copioso sanguine liberan-*  
*tur, ne in uteri confiniis urgens status plethoricus multas*  
*procreet afflictiones, adeoque pene aliunde uterus ad su-*  
*spectam sanguinis exonerationem adigatur, de quo statu*  
*germani in proverbio dicunt, das Kind zu samt dem Bad*  
*ausschütten, id quod contingit, quando talis uteri hæmor-*  
*rhagia cum subsequente abortu succedit: quare providæ*  
*plane ratione naturæ, quandoque utero parcit & extra con-*  
*suetudinem talem processum instituit, qui aliis actionibus*  
*humanis exacte conformis est, neque in hac formalí confide-*  
*ratione ullam vim patitur*

## §. X.

Cum hac *naturæ* operatione conciliandæ porro sunt  
*illæ causæ, quæ & generali & speciali respectu ad sanguinis*  
*evacuationem sub Graviditatis & Puerperii statu dispo-*  
*nunt: huc itaque quadrant illæ causales considerations,*  
*quarum*

quarum §. 5. mentio facta fuit: generalis enim status *plethora-*  
*ricus*, qui proinde sub *Graviditate* augescit & in *Puerpe-*  
*rio* adhuc urget, tanto magis si vel *Lochia parcus* succe-  
dunt, vel sub *fortiori* & *laboriosiori* Partu *præsens* sanguini-  
*nis plenitudo* valde *commota* fuit, nec non quando ex *dietæ*,  
*regiminis*, *temperamenti*, *morum*, *affectionum*, *confuetudinis*,  
*vitæ generis*, &c. *concursu* & *efficacia* *præsens* *überior* san-  
*guis* valde *exagitatur*, *hæmorrhoidalem* *talem* *impulsum*  
*atque conatum* *invitant*, quod tanto facilius in *ejusmodi*  
*subjectis* *contingit*, quando *internetalia* *alimenta* & *medi-*  
*dicamenta* *præcipue liberalius* & *frequentius* *ingesta* *fue-*  
*rant*, quæ *stimulum* ad *commotiones hæmorrhoidales* mi-  
*nistrant, extrinsecus vero ejusmodi fomenta uterina adhi-*  
*bentur, quæ simul in loca hæmorrhoidalia largiorem afflu-*  
*xum* *sanguinis* *invitant*, quare ob *internum generalem*  
*sanguinis impulsum*, sed & ob *in & externam viarum hæ-*  
*morrhoidalium stimulationem* *facilius* hi *conatus hæmor-*  
*rroidales* *insultant*, qui vero *vici* *similiter adeo irregulares* aut  
*impetuosi* *sunt*, prout *irritamenta* *inducta majoris* *fuere*  
*efficaciæ*: quodsi itaque aliquando in quibusdam *fœni-*  
*cis sanguis* in sua *consistentia* fuerit *spissior*, *impulsus* *vero*  
*atque invitatio hæmorrhoidalis validior*, tunc *loco faci-*  
*lioris* *eruptionis & fluxus*, *molestæ & dolorosæ* *superve-*  
*nient protuberantiae & cæci infarctus* *in locis hæmorrhoida-*  
*libus*, quos ob *hanc occlusionem & difficiliorem* *eruptio-*  
*nem semel commota* *natura ab intra & a tergo* *velut impa-*  
*tientioribus & vehementioribus* *prosequitur* *commotioni-*  
*bus eluctatoriis*, ut propterea in *ejusmodi fœminis* ob *pro-*  
*positas rationes totus processus hæmorrhoidalis anomatus*  
*& præjudiciosus evadat*: Et sicut alias *uterus* cum *hæmor-*  
*hoidalibus* *locis per venas hypogastricas* (*velut diserte te-*  
*stantur authores vid. Hollerius Comment. in secl. 6. aph. XI.*  
*Heurnius Com. secl. 4. aph. 30. Frommannus de Hæmorrhoida-*  
*bus Part. 1. probl. 29. Part. 2. probl. 36. Dn. D. Præses in tr. de*  
*Hæmor-*

*Hæmorrhoides* ubi de Mensum & *Hæmorrhoidum Consensu*,  
 nec non de *Hæmorrhoidibus fæminarum* differit) *consensum*  
 servat, *externæ* vero hæmorrhoidales venæ, quæ de pro-  
 sapia hypogastricarum sunt, cum *internis* porro consenti-  
 re solent & quidem non crasso materiali consensus argu-  
 mento & nervo, sed per *motus* progressivi sanguinis regu-  
 las atque ordines, *interveniente* præcipue *naturæ dictamine*  
 & *moderamine*, ita *motus* tales *excretorii modo* ad *internas*,  
*modo* ad *externas* venulas hæmorrhoidales diri-  
 guntur, *modo* ad *utrasque* simul applicantur, qui *posterior*  
 deinde casus eo *graviorem* & variis *offendiculis* atque mo-  
 lestiis magis obnoxium sifit statum: interea ex prioribus,  
 videlicet *internis* regionibus hæmorrhoidalibus *facilius*  
*sanguis* erumpit, ad *externa* vicissim *vasa* *facilius indolentia*  
*illa tubercula* hæmorrhoidalia oriuntur, ob illas rationes  
 quas fusius *Illustris D.D. Stahlius & D.D. Præses* illis locis  
 ubi *externas* explicarunt *Hæmorrhoides*, allegarunt, con-  
 firmarunt & applicarunt: tales hæmorrhoidales *motus* pro-  
 vocant etiam copulæ carnales, quando imprimis fœminæ  
*prædicilis* qualitatibus præditæ sunt, dum per actus illos  
*libidinis* non modo generice sanguis æstuosius commove-  
 tur, sed & ad *inferiora* corporis loca *copiosiori* affluxu pro-  
 vocatur, quæ causa *impulsiva remotiori efficacia* tandem  
 illud hæmorrhoidale negotium excitare potest; huc de-  
 niique clysteres & suppositoria, *acrioribus* qualitatibus præ-  
 dicta, dum vias hæmorrhoidales sensibilius *stimulant*, con-  
 tribuunt, ut *concurrentibus* reliquis circumstantiis, tandem  
*molimina* illa hæmorrhoidalia irruant; qui singuli respe-  
 ctus in *Pathologia Hæmorrhoidum verarum in gravidis no-*  
*tandi* sunt.

## §. XI.

Interdum *Hæmorrhoides* in talibus fœminis *aliam*  
 induunt faciem, quando videlicet *passive* & *coacte* provo-  
 cantur, hinc ratio *formalis* harum *Hæmorrhoidum discre-*

E pat

pat a prædicta specie motuum hæmorrhoidalium: quare quandoque ejusmodi molestiæ hæmorrhoidales proveniunt a sanguine in loca hæmorrhoidalia *copiosius* impulso, indeque *incarcerato*, qui tandem motibus *congestoriis* & *exæcte* hæmorrhoidalibus aliquando stipatus & sustentatus, iterum *resolvitur* & in *liberum* progressum redigitur, aut aliquali corruptionis specie (quod *deterius* est *confectarium*) aut *maturazione* superveniente alteratur, ut *pristinus* in *alium* plane statum convertatur: Tales Hæmorrhoides coactæ itaque consistunt in *stagnatione* aut *stasi* modo *majori*, modo *minoris* sanguinis in locis hæmorrhoidalibus: hæc *occlusio* sanguinis contingit a *violentiori* *impressione* sanguinis in hæc loca: hinc *Gravidæ*, quæ alioquin facile plethoricæ evadunt, quando *pertinaces* *alvi* stricturas patiuntur & sæpius cum vi & intensiori nisu ac *pressione* illius liberacionem & *exonerationem* urgent, facile sanguinem, qui sub hoc statu *ordinatus* tam in *utero*, quam ejus *confiniis* largius confluit, in loca hæmorrhoidalia *imprimunt*, qui dein ibi *subsistens* cruciatus eximios *pressionis* videlicet, *ardoris* perennis & indesinentis *stimuli* cum doloroso *tenesmo* conjuncti, causatur: proinde etiam evenit, ut *Gravidæ* multos *impuros* congerant succos, qui ex parte ad hæmorrhoidalia hæc loca una confluunt, eademque *sensibilius* stimulant & hinc *majorem* sanguinis *affluxum* ad illa provocant, ut dolores augeantur & anomalus hæmorrhoidalis status promoteatur & confirmetur: simile quid evenit, quando sub *Graviditatis* statu vel *cruda* vel *copiosa* correctaingeruntur *Aloetica* remedia, quæ modo leniores, modo graviores *tenesmos* excitant, quos in *plethorici* facile prædicti *tumores* in locis hæmorrhoidalibus sequuntur: idem contingit, quando circa *finem* *gestationis* ob *molem* *uteri* *proximus* adjacens *intestinum* *rectum* *comprimitur*, indeque tam *alvina* *excretio*, quam *promptus* & *ordinatus* *sanguinis*

guinis progressus per *vasa hæmorrhoidalia*, *impeditur*, quam ob rem ejusmodi sanguinis *stagnationes* in affectis locis oriuntur, quæ per *connexionem* in vicinis locis *reliquum* sanguinis progressum valde impedire & *malum malo* adaugere adjuvant: id quod etiam obtingit, quando *embryo* suo *situ* in uteri *postica* parte *majorem* occupavit regionem, quo *easdem* regiones cum *hæmorrhoidalibus* locis *cohaerentes* offendit & talia *obstacula* libero sanguinis motui per hæc loca sternit: quando præterea *plethoraicas* fœminas *colici* cruciatus affligunt, *alvus* vero pertinacius *strida* aut *sicca* est, interim vel *spontanei* nisus & *conatus* ad desidendum *urgent*, vel multa opera ejusmodi apertiones promoventur, tunc & que facile suspectæ tales sanguinis *stagnationes* in *hæmorrhoidalibus* locis accidunt: quando proximius ante partum *spasmi* quidam utpote *spurii* & *exorbitantes* motus fœminas vexant, tunc iterum sub *irregulari* alvi successu tales protuberantiae pene *hæmorrhoidales* haud vero fluxiones oriuntur: ipse partus *laboriosus*, sub quo vehementer sanguis in tales vias *impellitur*, causa talium afflictionum esse potest & solet, aut si per partum hæc viæ valde enervatae sanguis vero in illas fortiori *pressione* commotus & convocatus, fuerint, tunc iterum talis *stagnatio* evenire solet: si post partum, sub *impeditiori* Lochiorum successu dolores *spasmodici* continuant, iidemque ex parte *aliqualem* intestinorum tractum occupant, tunc iterum ab hac causa affectus ille *stagnationis* sanguinis in locis *hæmorrhoidalibus* provenire solet: si partu *peracto* excretioni alvi aliquales superveniunt *turbæ*, cum molestis nisibus & *tenesmis* conjunctæ, quæ haud *infrequentes* existunt, tunc etiam hoc modo molestiæ illæ in locis *hæmorrhoidalibus* provocantur: & quemadmodum *stagnationes* sanguinis usitatus *supervenientibus acerbioribus* congestionibus sanguineis ansam præbent, ita in præsenti afflictione *non nuda passio*, i. e. sanguinis incarceratio occurrit, sed tales motus superveniunt, qui alio-

quin libero processu hæmorrhoidalii quadantenus familiares esse solent: donec vel aliqualis eruptio & consequens ventilatio & evacuatio locorum hæmorrhoidalium superveniat, vel successive sanguis incarceratus resolvatur, vel inflammatorio motu discutiatur, aut aliter tractetur, vel sub in & externorum adminiculorum concursu, resorbeatur, vel in ominosam quandam corruptionem delabatur: inde vero facile liquet, quod talis perversus status hæmorrhoidalis in Gravidis & Puerperis varias alias turbas afferat, quæ partim ab anomala illius qualitate, partim ab istius præcurrente causa evidenter ortum trahunt: Hoc discriminem in hæmorrhoidalibus talibus occupationibus & processibus prudens Medicus exacte nosse debet, quo malos eventus tempestive avertere, aut pravorum pathematum accumulationes mature intercipere queat, qualis ingenuus ille usus est, qui ex vera Pathologia in securam Therapiam redundat; quare etiam in hac præsentis observationis Pathologica deductione acquiescimus.

## §. XII.

Dum hucusque *Hæmorrhoidale negotium in Gravidis & Puerperis tam Historice, quam Pathologice explicavimus*, ultima nunc restat tractatio, quæ *Therapeuticæ* est, in qua salutaria consilia & auxilia pro utroque Hæmorrhoidum statu indicabimus: etenim si fluxus hic salutari destinazione procedit, tunc omnino congrua commendanda sunt consilia, quo salutaris etiam scopus obtineatur, ne perversa methodo utilis illa naturæ operatio aut perturbetur, aut opprimatur: quodsi vero vicissim pathemata talia hæmorrhoidalia aut æquivoca fuerint, aut plane nociva, tunc perinde congruis consiliis & auxiliis perniciosus eventus facilite avertendus est: quo vero iterum utrumque justè succedat, periti artificis est, ut inconvenientia & magis infensa media & experimenta omittat, proficia vicissim ac idonea applicet; ob id hoc ordine primum quasdam cauterias

tas practicas indicabimus, quæ in præsenti casu indefessa cura observari & applicari debent: Perniciosum itaque est qualemcunque hæmorrhoidalem fluxum in hisce sœminis repente coercere & suffocare; a quo tentamine funesta facile oriuntur pathemata, quæ si in internis inflammatoriis affectibus non consistant, tamen enormes spasticas & convulsivas commotiones constituunt, aut subitaneos nobiliorum viscerum infarctus, cum celerius consequente interna putredine, aut summopere periculosos Abortus, aut præcoces & vehementes congestiones intra pectus & caput, aut lethalia molimina, vomitum cruentum concernentia, aut funestas adstrictiones alvi, cum colica convulsiva & iliacæ passione conjunctas &c. complectuntur: quare excedentem etiam Hæmorrhoidum fluxum cum moderamine tractare expedit: nocent porro negligentiores, aut immoderatores promotiones alvinæ excretionis, quæ in opposita hac qualitate ut plurimum gravem ataxiam motibus hæmorrhoidalibus communicant: neque expedit promiscue aloetica remedia usurpare, quæ non nisi peritam ordinacionem requirunt, siquidem optime correcta aloes, indiscriminatum, aut largius oblata, multas & suspectas sanguinis commotiones, nec non locorum hæmorrhoidalium acerbiores extimulationes causatur, id quod majori effectu minori quantitate oblata cruda aloes præstat: porro omnia medicamina & regimina sanguinem valde commoventia, qualia sunt volatilia, concentrata, resinosa, plurima uterina & carminativa spirituosa & similia in tali casu certius inimicararius innocentia, aut indifferentia erunt: hujus conditionis sunt balsama uterina, quæ passim Gravidis & Puerperis commendari solent: singula enim hæc culidiora remedia nimium impellendo motus hæmorrhoidales, aut ad excessum illos perducunt, aut in graves infarctus adeoque impeditos successus illos convertunt, aut quamcunque etiam irregularitatem illis immittunt, ut propterea salutaris successus

cessus & decursus evidentius invertatur; quæcunque  
 porro medicamina motum sanguinis valde impediunt, sive  
 fuerint *incrassantia*, sive sensibilius *infrigidantia*, sive *ad-*  
*stringentia*, sive *communia narcotica*, illa in hoc casu etiam  
 perquam sunt *inimica* & consequentibus suspectis sanguini-  
 nis *occlusionibus* ansam præbent, quare illa *stagnationes hæ-*  
*morrhoidales* eo magis *confirmant* & *contumaces reddunt*,  
 ut deinde aliis *idoneis* *adminiculis ægrius recludi* & *dissol-*  
*vi queant*: neque etiam in hoc casu consultum est *multis*  
*remediis experimenta facere*, ad quod tentamen neque  
 Gravidæ neque Puerperæ habiles sunt: Hæmorrhoides  
*molientes fortiore aliquo impulsu ad eruptionem adigere* &  
*urgere velle*, consultum haud est, quoniam in Gravidis *abor-*  
*tus facile provocatur*, aut in utrisque contumaces *infarctus*  
*sanguinei in loca hæmorrhoidalia horumque confinia*, aut *in-*  
*flammatoriae commotines & comminationes provocantur*,  
 aut suspectæ *alvi* *obstipationes consequuntur*: quæcunque  
*remediorum specimina dolores in hoc casu aut convocant*, aut  
*præsentes exacerbant*, aut repente *jugulant*, illa *minus securo*  
*effectu se probant*, sed tanto certius *periculorum pathet-*  
*matum combinationem experiuntur*: & quando quidam  
 authores, ut Welschius & ante ipsum Mercatus concedunt,  
 quod fluxus hæmorrhoidalis *coerceri queat*, tamen ad Hippo-  
 crateris monitum *una hæmorrhoidalis venula operata re-*  
*linquenda est*, tunc hæc concessio tantum *pragmatica*, mi-  
 nime vero *practica* est, quoniam in artificis potestate haud  
 versatur, ut pro *lubitu occlusionem & reclusionum singulari-*  
*um venularum tractare & perficere valeat*: neque etiam  
 in hac observatione *plethorici status negligentior æstimatio*  
 & *tractatio probari potest*, quoniam aliquando *opportuna*  
 V. Sio *irregularibus motuum hæmorrhoidalium successi-*  
*bis singulare moderamen largitur*: ab extra vicissim omnia  
 fortius *repellentia*, facilius *rancescentia*, sensibilius *stimu-*  
*lantia*, immoderatus *emollientia*, periculosius *attrahentia*,  
 conge-

*congestorios motus efficacius provocantia, strictruram in alvo conciliantia, septica & arrodentia, communia unguinosa sedula vitanda sunt cura, quia singula horum titulorum topica & externis molestiis provocandis & exacerbandis & internis periculis mutationibus & offenditibus excitandis perquam quadrant: quæ tentamina si provida mente omittuntur & alia magis congrua auxilia solicita cura adhibentur, melior horum motuum hæmorrhoidalium decursus expectari & promitti poterit.*

## §. XIII.

Restat denique ut in altera Therapiæ parte *positiva* auxilia, quæ in hoc casu certiorem & securiorem opem ferre solent & possunt, quoad *fundamenta* & *succincta* aliqua commendatione proferamus & nominemus; in hac iterum *differentiam* illam hactenus observatam annotavimus, qua Hæmorrhoides Gravidarum & Puerperarum in *libero* & *coucho* statu æstimandas & tractandas esse judicamus: Quod itaque *legitimum* Hæmorrhoidum successum attinet, tunc ille *nullo modo* turbari aut impediri, sed in *placido* suo successu *conservari* debet, hoc ut fiat, *alvina excretionis* servetur *aperta*, hoc iterum contingit magis internis lenientibus, iuseculis & decoctis humectantibus & emollientibus, quæ dum fibrarum rigorem *demulcent* & relaxant, alvum servant *liquidam* & reliquas sanguineas *congestiones* *demulcent*; huc porro modico & proportionato usū conducunt, passulata & prunata subiecta, magis *dietetica*, quam *pharmaceutica* ordinatione: porro conferunt *gelatinosam*, deinde *motus temperantia*, *spasmos* avertentia & suspectos *orgasmos* declinantia, velut pulveres ex C. C. pulv. Corall. rubr. ppt. Nitr depur. & Cinnab. *Acria* & fixa salia non facile in *hoc casu* proficiunt; ita etiam confert magisterium C. C. Lap. 69 Corall. r. ppt. cum modica nitri portione mixtum: proinde conducit decoctum ex C. C. r. spat. rad. Cichor. Scorz. flor. chamom. offic. tantillo her.

ba

bæ & sumit. millefol. aneth. bacc. laur. & junip. Cort. citr.  
 rec. anis. stellat. passul. M. & min. & Cremor. tart. Conve-  
 nit etiam potio ex aqv. dest. Scorzon. fl. Sambuc. tiliæ, a-  
 neth. prim. ver. ceras. nigr. millef. plantag. gelat. C.C. liqv.  
 Spir. nitr. dulc. Tinct. mart. tartaris. C.C. pulveris. Corall.  
 rubr. præp. & exigua portione extr. Castor. liquid. sic etiam  
 proficit Mixtura ex Eff. fl. chamom. offic. cort. aurant. gen-  
 tian. rubr. millefol. Castor. Tinct. Corall. & spir. nitr. dulc.  
 prosunt præterea pilulæ Stahlianæ, quæ motus in abdomine  
 in *justo* ordine conservant & intestina roborant, ne con-  
 trariis commotionibus facile subjiciantur: præservantur  
 tamen tales motus & fluxus hæmorrhoidales opportuna  
 V. Sæ in Brachio instituta, constanti libero alvi successu,  
 diæta & regimine temperatis ac moderatis, animo placido &  
 quieto, nec non mediocriter mobili vitæ genere, quo me-  
 diante sanguinis progressus in *justo* conservatur successu,  
 cavendo tamen, ne ullibi *immodicæ* sanguinis commotio-  
 nes excitentur: Quando Hæmorrhoides difficilis & cum  
 doloribus succedunt, tunc conducunt prædicta lenientia,  
 clysteres emollientes, fomenta vaporosa ex speciebus e-  
 mollientibus & leniter uterinis conficienda, ut & pedilu-  
 via, sine magna sanguinis commotione æstuosa adhibenda,  
 interne porro recensita *antispasmodica* cum methodico Pi-  
 lularum Stahlianarum connubio: præcipue in hoc casu  
 conducunt, *alvum*, *humores* & *strictas* fibras lenientia at-  
 que diluentia, quæ tranquillum Hæmorrhoidum fluxum  
 facilitant: Si porro aliquando Hæmorrhoides plane *ex-  
 cedere* videantur, tunc *tempestiva* V. Sæ in Brachio, deinde  
*interna temperantia*, parcus nitrofa, *antispasmodica*, cinnæ-  
 barina, castorina (sed hæc perite & caute erunt ordinan-  
 da) gelatinosa, *mitius* incrassantia, avenacea, hordeacea, fa-  
 rinacea, lacticinia, emulsiva, decoctum C. C. Cichor. Mil-  
 lef. flor. chamomill. offic. papav. rhæad. bacc. laur. & Tinct.  
 Corall. Eff. Castor. Chamomill. spir. nitr. dulc. vel Mixtura

ex

ex Tinct. mart. tartaris. Ess. castor. chamom. spir. nitr. dulc.  
 parca quantitate, ast *repetita vice*, propinanda, servato &  
 coniuncto *regimine temperato* & ab omni *exæstuntione* li-  
 bero: regioni *Coxendicum* applicari potest Emplastr. Sa-  
 pon. Barbett. leviter camphorat; cum Empl. de Taca-  
 nah. de bacc. laur. & Cerat. Santal. malaxatum, cavendo ne  
 ultra bihorium in loco indicato relinquatur: proficit et-  
 iam in hac afflictione usus *Maniluviorum*, sed circumspe-  
 ctus: Quando porro vel ex motibus hæmorrhoidalibus  
 præcedentibus, vel coæcio quodam modo infarctus & protru-  
 berantæ hæmorrhoidales oriuntur, tunc præsente & ur-  
 gente *plethora* pro circumstantiarum ratione, aut *V.S.* in  
 Brachio, aut in Puerperis, si *Lochiorum defectus* premit, in  
 pede institui potest: *alvus* sit *lubrica* aut *lenis*, interne præ-  
 cipue ante commendata *lenientia* humectantia, diluentia,  
 præcipue *jascula*, decocta, gelatinæ, infusa calida, *modicus*  
 & *providus* *Millefolii* usus, *antispasmodica*, *temperantia*, *secura*  
*sedativa*, jam in præcedentibus nominata profunt; *Clysteri-*  
*bis* non facile ob dolores vacat locus, alias perinde illi *profice-*  
*rent*, (quos *Welschius* loc. *supr. cit.* admodum commendat, qui  
 etiam, si circumstantie permittunt applicari possunt, sint ve-  
 ro *emollientes*, nullo tamen modo *stimulantes*) hinc *lenitio*  
*humorum*, *viarum* & *fibrarum* per *interna auxilia* est perfic-  
 ienda: externe vero illa conducunt auxilia, quæ ad Hæ-  
 morrhoides alibi a *D.D. Præside*, tam in *Praxi sua*, quam  
 in *tract de Hæmorrhoidibus* commendata prostant; quo  
 præcipue conducunt cataplasma *emollientia*, *discutien-*  
*tia* & *leniter adstringentia*, parcus crocata, cum lacte pa-  
 randa: aut linimentum ex oleo decoct. chamom. ane-  
 thin. ol. lit. alb. nucl. persic. addito tanfil. camphor. croc.  
 orient. ceræ virgin. lac. lun. bol. armen. vel ex mucilag.  
 sem. Cydon. oleo de sperm. ran. lilior. alb. lumbric. terrest.  
 camphor. & croc. orient. vel decoquantur flor. cham. off.  
 sambuc. melilot. aneth. sem. papav. cum lacte & applicetur

F

illud

2

illud decoctum ad locum affectum , citra tamen magnam  
 illius exæstuationem: *Welschius* commendat in *Hebam-*  
*men Buch Part. 2. cap. 26.* suum evporiston ex oleo nūcl.  
 persic. lini, & vitell. ov. de quo dicit, quod egregie dolores  
 leniat: Hirudines ad hasce protuberantias applicare cir-  
 cumstantiæ haud permittunt, quare illarum usum *Welschius*  
 non probat: *Ettmüllerus* contra hirudinum applicatio-  
 nem pro gravidis in illo casu commendat *Prax. de Morb.*  
*Mul. Sect. 6. art. 10. cap. 4.* quando ex suppressis hæmor-  
 rhoidibus illæ male se habent: Hæc sunt quæ brevi  
 deductione in Practica talium Hæmorrhoidum tractatio-  
 ne & directione commendare voluimus; ast ne termini-  
 nos ultra modum extendamus, præsenti labori finem im-  
 ponimus, iterumque ad Divinam bonitatem nos con-  
 vertimus, cui pro præstito auxilio in hoc proposito hu-  
 millimas referimus grates, ejusque benedictioni atque  
 directioni singula nostra commendamus opera, quo iis-  
 dem & Summo rerum humanarum arbitro atque mode-  
 ratori acceptus, proximo vero salutaris  
 inde affulgeat

F I N I S.





